

mansuetudinem, tam inusitatum inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac paene divinam, tacitus nullo modo praeterire possum. M. enim Marcello vobis, P. C., reique publicae reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis, et reipublicae conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, P. C., et vehementer angebar, cum viderem, virum talem, qui in eadem causa, in qua ego fuissem, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo aemulo atque imitatore studiorum, ac laborum meorum, quasi quodam socio a me et comite distracto. Ergo et mihi et meae pristinae vitae consuetudinem, C. Caesar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim, mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paullo ante omnibus, cum M. Marcellum senatui populoque Romano concessisti, commemoratis praesertim offensionibus, te auctoritatem hujus ordinis dignitatemque reipublicae tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis vitae ante actae hodierno die maximum cepit, cum summo consensu senatus, tum praeterea judicio tuo gravissimo et maximo: ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura sit laetitia, pervenerit. Quod ei quidem merito, atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior?

II. Nullius tantum est flumen ingenii, nulli dicendi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit. Tamen hoc affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse